

mihī voluntas in vobis, dicit Dōminus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gētibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nōmīni meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gētibus, dicit Dōminus exercituum.

**R.** Misit Dōminus Angelum suum, & conclusit ora leōnum: • Et non

contaminaverunt: quia coram eo injustitia inventa non est in me. **V.** Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam: animam meam eripuit de medio catulorum leōnum. Et non. Gloria Patri. Et non.

**Ad Vesperas, Antiphona cum Psalm. de Psalterio. 108. Capitulum, Hymnus, V. Antiphona ad Magnificat, & Oratio ut in Sabbato ante Dominicam primam Adventus.**

## HOMILIE ET ORATIONES IN DOMINICIS

Per ordinem dispositæ, à tertia post Pentecosten usque ad Adventum.

### DOMINICA III.

Post Pentecosten. Oratio.

**P**rotector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, multiplica super nos misericordiam tuam: ut te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æternam. Per Dōminum nostrum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 15.

**I**n illo tempore: Erant appropinquantes ad Jesum publicani, & peccatores, ut audirent illum. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorii Papæ. Homil. 34. in Evangelia, post initium.

**A**ldistis in lectione Evangelica, fratres mei, quia peccatores, & publicani accesserunt ad Redemptorem nostrum: & non solum ad colloquendum, sed etiam ad convescendum recepti sunt. Quod videntes Pharisei indignati sunt. Ex qua re colligite, quia vera

justitia compassionem habet, falsa justitia dedignationem: quamvis & justī sōleant recte peccatoribus dedignari. Sed aliud est quod agitur typo superbie, aliud quod zelo discipline.

Lectio vij.

**D**edignantes: desperant, sed non desperantes: persecutionem commovent, sed amantes: quia etsi foris increpationes per disciplinam exagerant, intus tamen dulcedinem per charitatem servant. Præponunt sibi in animo ipsos plerumque quos corrigunt: meliores existimant eos quoque quos judicant. Quod videlicet agentes, & per disciplinam subditos, & per humilitatem custodiunt semetipsos.

Lectio ix.

**A**t contra, hi qui de falsa justitia superbiere solent, ceteros quosque despiciunt, nullā infirmantibus misericordiam condescendunt: quō se peccatores esse non credunt, eō dete-

terius peccatores sunt. De quorum profecto numero Pharisei extiterant, qui judicantes Dōminum quod peccatores susciperet, arēnti corde ipsam fontem misericordie reprehendebant. Sed quia ægri erant, ita ut ægros se esse nescirent, quatenus quod erant agnoscerent, cœlestis eos medicus blandis fomentis curat, benignum paradigma obijcit, & in eorum corde vulneris tumorem premit. Te Deum laudamus. 12.

Ad Benedictus, Antiphona.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & si perdidit unam ex illis, nonne dimittit nonagintanovem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam? alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Quæ mulier habens drachmas decem, & si perdidit drachnam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & querit diligenter donec inveniat?

DOMINICA IV.

Post Pentecosten. Oratio.

**D**A nobis, quæsumus Dōmine, ut & mundi cursus pacifice nobis tuo ordine dirigatur: & Ecclesia tua tranquillā devotione lætetur. Per Dōminum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 5.

**I**n illo tempore: Cū turbæ irruerent in Jesum, ut audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et reliqua.

Homilia Sancti Ambrōsii Episcopi. Lib. 4. in Luc. cap. 5. prope finem libri.

**U**bi Dōminus multis impartivit varia genera sanitatum, nec tempore, nec loco potuit ab studio sanandi turbæ cohiberi. Vesper incubat, sequebantur: stagnum occurrir, urgebant: & ideo ascendit in Petri navim. Hæc est illa navis, quæ ad-

huc secundum Matthæum fluctuat, secundum Lucam replētur piscibus: ut & principia Ecclesie fluctuantis, posteriora exuberanti agnoscat. Pisces enim sunt, qui hanc enavigant vitam. Ibi adhuc discipulus Christus dormit, hic præcipit: dormit enim trépids, perlectis vigilat.

Lectio vij.

**N**on turbatur hæc navis, in qua prudētia navigat, abest perfidia, fides aspirat. Quemadmodum enim turbati poterat, cui præerat is, in quo Ecclesie firmamentum est? Illic ergo turbatio, ubi modica fides: hic securitas, ubi perfecta dilectio. Etsi aliis imperatur ut laxent rêtia sua, soli tamen Petro dicitur: Duc in altum; hoc est, in profundum disputationum. Quid enim tam altum, quam altitudinem divitiarum videre, scire Dei Filium, & professionem divinæ generationis assumere? Quam licet mens non queat humana plene rationis investigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur.

Lectio ix.

**N**am etsi non licet mihi scire quemadmodum natus sit: non licet tamen nescire quod natus sit. Seriem generationis ignoro: sed auctorem generationis agnosco. Non interituum cum ex Patre Dei Filius nasceretur: sed interituum cum à Patre Dei Filius diceretur. Si Deo non credimus, cui credemus? Omnia enim quæ credimus, vel visu credimus, vel auditu. Visus sæpe fallitur, auditus in fide est.

Te Deum laudamus. 12.

Ad Benedictus, Antiphona. Ascendens Jesus in navim, & sedens docebat turbas, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona. Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cœpimus, in verbo autem tuo laxabo rete.



## DOMINICA V.

Post Pentecosten. Oratio.

**D**Eus, qui diligentibus te bona invisibilia preparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum: ut te in omnibus, & super omnia diligentes, promissiones tuas, quae omne desiderium superant, consequamur. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum.

Lectio vij. Cap. 5. c.

**I**N illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nisi abundaverit iustitia vestra plus quam Scribarum, & Phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Lib. 1. de Serm. Domini in monte, c. 9.

**J**ustitia Phariseorum est, ut non occidant: iustitia eorum qui intraturi sunt in regnum caelorum, ut non irascantur sine causa. Minimum est ergo, non occidere: & qui illud solverit, minimus vocabitur in regno caelorum. Qui autem illud impleverit, ut non occidat, non continuo magnus erit, & idoneus regno caelorum; sed tamen ascendit aliquem gradum: perficietur autem, si nec irascatur sine causa, quod si perfecit, multo remior erit ab homicidio. Quapropter qui docet, ut non irascamur, non solvit legem, ne occidamus, sed implet potius: ut & foris, dum non occidimus, & in corde, dum non irascimur, innocentiam custodiamus.

Lectio vij.

**G**radus itaque sunt in istis peccatis: ut primo quisque irascatur, & eum motum retineat corde conceptum. Jam si extorserit vocem indignantis ipsa commotio, non significantem aliquid, sed illum animi motum ipsa eruptione testantem, qua feriat ille, cui irascitur: plus

est tique, quam si surgens ira silentio premeretur. Si vero non solum vox indignantis audiatur, sed etiam verbum, quo jam certam eius vituperationem, in quem profertur, designet & notet: quis dubitet amplius hoc esse, quam si solus indignationis sonus ederetur?

Lectio ix.

**V**ide nunc etiam tres reatus, iudicii, concilii, & gehennae ignis. Nam in iudicio adhuc defensionem datur locus. In concilio autem, quamquam & iudicium esse solet, tamen quia interesse aliquid hoc loco fateri cogit ipsa distinctio, videtur ad concilium pertinere sententiae prolatio: quando non iam cum ipso reo agitur, utrum damnandus sit, sed inter se, qui iudicant, conferunt quo supplicio damnari oporteat, quem constat esse damnandum. Gehenna vero ignis, nec damnationem habet dubiam, sicut iudicium; nec damnati penam, sicut concilium: in gehenna quippe ignis, certa est damnatio, & poena damnati.

Te Deum laudamus. 12.

Ad Benedictus, Antiphona.

Audistis quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio.

Ad Magnificat, Antiphona.

Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversus te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offers munus tuum, alleluia.

## DOMINICA VI.

Post Pentecosten. Oratio.

**D**Eus virtutum, cuius est totum quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, & praesta in nobis religionis augmentum: ut quae sunt

bo-

bona nutrias: ac pietatis studio, quae sunt nutrita, custodias. Per Dominum nostrum.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio vij.

Cap. 8.

**I**N illo tempore: Cum turba multa esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbam: quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent. Et reliqua.

Homilia S. Ambrasil Episcopi.

Lib. 6. in Luc. cap. 9. post initium.

**P**ostquam illa, quae Ecclesiae typum accepit, a fluxu curata est sanguinis, postquam Apostoli ad evangelizandum regnum Dei sunt destinati, gratiae caelestis impartitur alimentum. Sed quibus impartitur adverte. Non otiosis, non in civitate, quasi in synagoga vel seculari dignitate residentibus, sed inter deserta quarentibus Christum. Qui enim non fastidiunt, ipsi excipiuntur a Christo, & cum ipsis loquitur Dei verbum, non de secularibus, sed de regno Dei. Et si qui corporalis gerunt ulcera passionis, his medicinam suam liberenter indulget.

Lectio vij.

**C**onsequens igitur erat, ut quos a vulnerum dolore sanaverat, eos alimonis spiritalibus a jejuniis liberaret. Itaque nemo cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus: & illi qui vocantur ad coenam, prius vocando sanantur. Si claudus fuit, gradiendi facultatem, ut veniret, accepit: si lumine oculorum privatus, domum utique Domini, nisi refusa luce, intrare non poterat.

Lectio ix.

**U**bique igitur mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medi-

cina tribuatur, post alimonia mensae caelestis exuberet: quamquam nondum validioribus haec turba reficiatur alimentis, neque Christi corpore & sanguine jejuna solidioris fidei corda pascantur. Lacte, inquit, vos potavi, non escam, nondum enim poteratis, sed nec adhuc quidem potestis. In modum lactis quinque sunt panes: esca autem solidior, corpus est Christi: potus vehementior, sanguis est Domini.

Te Deum laudamus. 12.

Ad Benedictus, Antiphona.

Cum turba multa esset cum Jesu, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis, ait illis: Misereor super turbam: quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Misereor super turbam: quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent: & si dimisero eos jejunos, deficient in via, alleluia.

## DOMINICA VII.

Post Pentecosten. Oratio.

**D**Eus, cuius providentia in sui dispositione non fallitur, te supplices exoramus: ut noxia cuncta submoveas, & omnia nobis profutura concedas. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum.

Lectio vij.

Cap. 7. c.

**I**N illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Et reliqua.

Homilia Sancti Hilarii Episcopi.

In Comment. in Matth. can. 6.

**B**landimenta verborum, & mansuetudinis simulationem admonet fructu operationis expedit oportere; ut non qualem quis verbis referat, sed qualem se rebus efficiat, spectemus: quia in mul-



tis vestitu ovium rãbes lupina contẽgitur. Ergo ut spine uvas, ut tribuli ficus non generant, & ut iniquæ arbores utilia poma non afferunt: itã ne in istis quidem consistere docet boni operis effectum, & idcirco omnes cognoscendos esse de fructibus. Regnum enim cœlorum sola verbõrum officia non obtinent: neque qui dixerit, Dõmine, Dõmine, hæres illius erit.

**Lectio viij.**

**Q**uid enim mēriti est Dõmino dicere, Dõmine? Numquid Dõminus non erit, nisi fuerit dictus à nobis? Et que officii sanctitatis est, nominis nuncupatio, cum cœlestis regni iter obediẽtia potius voluntatis Dei, non nuncupatio, reperitur sit? Multi mihi dicent in illa die: Dõmine, Dõmine, nõnne in tuo nomine prophetãvimus? Etiam nõne pseudoprophetarum fraudulentiã, & hypocritarum simulãmẽta condemnãt, qui gloriã sui ex verbi virtute præsumunt, in doctrinã prophetiã, & dæmoniorum fuga, & istiusmodi operum virtutibus.

**Lectio ix.**

**A**tque hinc sibi regnum cœlorum pollicentur: quasi verò eorũ aliquid proprium sit, quæ loquuntur aut faciunt, & non omnia virtus Dei invocata perficiat: cum doctrinã sciẽtiam lectio afferat, dæmõnia Christi nomen exagitet. De nostro igitur est beata illa zeternitas promerenda, præstandumque est aliquid ex proprio, ut bonum velimus, malum omnia vitemus, totõque affectu præceptis cœlestibus obtemperemus, ac talibus officiis cogniti Deo simus: agamusque potius quod vult, quam quod potest gloriemur, repudiãns eos ac repellens, quos à cognitiõne sua, opera iniquitatis averterint.

Te Deum laudãmus. 12.

**Ad Benedicẽtus, Antiphona.**

Attẽdite à falsis prophẽtis, qui veniunt ad vos in vestimẽtis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: à fructibus eorũ cognoscẽtis eos, alleluia.

**Ad Magnificat, Antiphona.**

Non potest arbor bona fructus malos facere, nec arbor mala fructus bonos facere: omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidẽtur, & in ignem mittẽtur, alleluia.

**DOMINICA VIII.****Post Pentecosten. Oratio.**

**L**argire nobis, quæsumus Dõmine, semper spiritum cogitãdi quæ recta sunt, propitiũ & agẽdi: ut qui sine te esse non possumus, secũdũm te vivere valeãmus. Per Dõminũ.

Lectio sancti Evangelii secũdũm Lucam.

**Lectio vij.**

Cap. 16.

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabola hanc: Homo quidam erat dives, qui habebat villicum: & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius. Et reliqua.

Homilia Sancti Hierõnyni Presbyteri.

Epist. 151. ad Algeriam quest. 6. t. 3.

**S**i dispensator iniqui mammõnæ, dõmini voce laudatur, quod de re iniqua sibi iustitiam prepararit; & passus dispẽdiã dõminus laudat dispensatoris prudentiam, quod adversus dõminũ quidem fraudulenter, sed pro se prudẽter egerit: quanto magis Christus, qui nullum damnũ sustinere potest, & pronus est ad clemẽtiam, laudabit discipulos suos, si in eos, qui credituri sibi sunt, misericordes fuerint?

**Lectio viij.**

**D**enique post parabola inultit: Et ego vobis dico, Facite vobis amicos de iniquo mammõna. Mammõ-

mõna autem non Hebræorũ, sed Syrorũ lingua divitiã nuncupantur, quod de iniquitate collẽctæ sint. Si ergo iniquitas benẽ dispensata veritür in iustitiam, quanto magis sermo divinus, in quo nulla est iniquitas, qui & Apõstolis creditus est, si bene fuerit dispensatus, dispensatores suos levabit in cœlum?

**Lectio ix.**

**Q**uamobrem sequitur: Qui fidelis est in minimo, hoc est, in carnalibus, & in multis fidelis erit, hoc est, in spiritualibus. Qui autem in parvo iniquus est, ut non det fratribus ad utẽdũm, quod à Deo pro omnibus est creatũm: iste & in spirituãli pecunia dividẽda iniquus erit, ut non pro necessitate, sed pro personis doctrinã Dõmini dividat. Si autem, inquit, carnãles divitiã, quæ labuntur, non benẽ dispensatis, veras æternasque divitiã doctrinã Dei quis credet vobis?

Te Deum laudãmus. 12.

**Ad Benedicẽtus, Antiphona.**

Ait Dõminus villico: Quid hoc audio de te? redde rationem villicatiõnis tue, alleluia.

**Ad Magnificat, Antiphona.**

Quid faciam, quia dõminus meus auferit à me villicatiõnem? fodere non valeo, mendicare erubescõ: scio quid faciam, ut cum amõtus fuero à villicatiõne, recipiant me in domos suas.

**DOMINICA IX.****Post Pentecosten. Oratio.**

**P**ateant aures misericordiã tue, Dõmine, præcibus supplicãntium: & ut petẽtibus desiderata concedãs, fac eos, quæ tibi sunt placita, postulãre. Per Dõminũ.

Lectio sancti Evangelii secũdũm Lucam.

**Lectio vij.**

Cap. 19. f.

**I**n illo tempore: Cũm appropinquaret Jesus Jerusalem, videns civitatem flevit super illam, dicens:

Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregõrii Pape.

Homilia 39. in Evangelia.

**Q**uod à fiente Dõmino illa Jerosolymõrum subversio describitur, quæ à Vespasiano & Tito Romãnis Principibus facta est, nullus qui historiam eversiois ejusdem legit, ignorat. Romani etenim Principes denuntiantur, cum dicitur: Quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo. Hoc quoque quod additur: Non relinquunt in te lapidem super lapidem: etiam jam ipsa ejusdem civitatis transmigratio testatur, quia dum nunc in eo loco constructa est, ubi extra portam fuerat Dõminus crucifixus, prior illa Jerusalem, ut dicitur, funditis est eversa.

**Lectio viij.**

**C**ui ex qua culpa eversiois suæ poena fuerit illata, subiungitur: Eò quod non cognoveris tempus visitatiõnis tuæ. Creator quippe hõminum per incarnatiõnis suæ mysterium hanc visitãre dignatus est: sed ipsa timõris & amoris illius recordãta non est. Unde etiam per Prophetã in increpatione cordis humani avelis cœli ad testimoniũm deducuntur, dum dicitur: Milvus in cœlo cognovit tempus suum, turtur & hirundo & cicõnia custodiẽrunt tempus adventũs sui: pòpulus autem meus non cognovit iudiciũm Dõmini.

**Lectio ix.**

**F**levit etenim prius Redemptor ruinã perfidie civitatis, quam ipsa sibi civitas non cognoscẽbat esse venturã. Cui à fiente Dõmino rectẽ dicitur: Quia si cognovisses & tu: subaudi, heres, quæ modo, quia nescis quod imminet, exultas. Unde & subditur: Et quidem



in hac die tua, quæ ad pacem tibi. Cùm enim carnis se voluptatibus daret, & ventura mala non prospiceret, in die sua, quæ ad pacem esse ei poterant, habebat.

Te Deum laudamus. 12.

Ad Benedictus, Antiphona.

Cùm appropinquaret Dóminus Jerúsalem, videns civitatem, flevit super illam, & dixit: Quia si cognovisses & tu: quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te: & circumdabunt te, & coangustabunt te: & ad terram prosternent te: eo quod non cognovisti tempus visitationis tuæ, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Scriptum est enim: Quia domus mea domus orationis est cunctis gentibus: vos autem fecistis illam speculancam latronum: & erat quotidie docens in templo.

DOMINICA X.

Post Pentecosten. Oratio.

**D**Eus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime & miserando manifestas, multiplica super nos misericordiam tuam: ut ad tua promissa currentes, cœlestium bonorum facias esse consortes. Per Dóminum nostrum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij.

Cap. 18. b

**I**n illo tempore: Dixit Jesus ad quosdam, qui in se confidebant tamquam justi, & asperebantur ceteros, parabolam istam: Duo homines ascenderunt in templum ut orarent: unus Pharisæus, & alter publicanus. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Sermone 36. de Verbis Dom. circa med.

**D**iceret saltem Pharisæus: Non sum sicut multi homines. Quid est, ceteri homines, nisi omnes præter ipsum? Ego, inquit, justus sum, ceteri peccatores. Non

sum sicut ceteri homines, Injusti, raptores, adulteri. Et ecce tibi ex vicino publicano majoris tumoris occasio. Sicut, inquit, publicanus iste. Ego, inquit, solus sum: iste de ceteris est. Non sum, inquit, talis, qualis iste, per justitias meas, quibus iniquus non sum.

Lectio viij.

**J**Ejuno bis in sabbato, decimas de omnium quæ possideo. Quid rogaverit Deum, quære in verbis ejus, nihil invenies. Ascendit orare: noluit Deum rogare, sed se laudare. Parum est, non Deum rogare, sed se laudare, insuper & roganti insultare. Publicanus autem de longinquo stabat, & Deo tamen ipse appropinquabat: cordis conscientia eum removēbat, pietas applicabat. Publicanus autem de longinquo stabat, sed Dóminus eum de propinquo attendebat.

Lectio ix.

**E**Xcelsus enim Dóminus, & humilia respicit: excelsos autem, qualis erat ille Pharisæus, à longè cognoscit. Excelsa quidem Deus à longè cognoscit, sed non ignoscit. Adhuc audi humilitatem publicani. Parum est, quia de longinquo stabat; nec oculos suos ad cœlum levabat: ut aspiceretur, non aspiciēbat: respicere sursum non audebat: premēbat conscientia, spes sublevabat. Adhuc audi: Percutiēbat pectus suum. Poenas à seipso percipiēbat: propterea Dóminus confitēbat: percutiēbat pectus suum, dicens: Dómine propitius esto mihi peccatori. Ecce qui rogat. Quid miraris, si Deus ignoscit, quando ipse agnoscit?

Te Deum laudamus. 12.

Ad Benedictus, Antiphona.

Stans à longè publicanus, nolēbat oculos ad cœlum levare, sed percutiēbat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori.

Ad

Ad Magnificat, Antiphona.

Descendit hic justificatus in domum suam ab illo: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

DOMINICA XI.

Post Pentecosten. Oratio.

**O**Mnipotens sempiternæ Deus, qui abundantia pietatis tuæ, & mérita supplicum excēdis & vota, effunde super nos misericordiam tuam: ut dimittas quæ conscientia metuit, & adicias quod oratio non præsumit. Per Dóminum.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio vij.

Cap. 7. d

**I**n illo tempore: Exiens Jesus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Gallilææ, inter medios fines Decapóleos. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 10. lib. 1. in Ezech. ante med.

**Q**uid est, quod creator omnium Deus, cùm surdum & mutum sanare voluisset, in aures illius suos digitos misit, & expuens linguam ejus tetigit? Quid per digitos Redemptoris, nisi dona sancti Spiritus designantur? Unde cùm in alio loco eiecisset dæmonium, dixit: Si in digito Dei eicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. Qua de re per Evangelistam alium dixisse describitur: Si ego in Spiritu Dei eicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei. Ex quo utròque loco colligitur, quia digitus Spiritus vocatur. Digitos ergo in auricularum mittere, est per dona Spiritus sancti mentem surdi ad obediendum aperire.

Lectio viij.

**Q**uid est verò, quod expuens linguam ejus tetigit? Saliva nobis est ex ore Redemptoris, accepra sapientia in eloquio divino. Saliva qui ppe ex capite defluit in ore. Eâ ergo sapientia, quæ ipse est, dum

lingua nostra tângitur, mox ad prædicationis verba formatur. Qui suspiciens in cœlum, ingemuit: non quod ipse necessarium gemitum haberet, qui dabat quod postulabat; sed nos ad eum gemere, qui cœlo præsedet, docuit: ut & aures nostras per donum Spiritus sancti aperiri, & lingua per salivam oris, id est, per scientiam divinæ locutionis, solvi debeat ad verba prædicationis.

Lectio ix.

**C**ui mox, Ephphetha, id est, adaperire, dicitur; & statim aperta sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus. Qua in re notandum est, quia propter clausas aures dictum est, adaperire. Sed cui aures cordis ad obediendum aperta fuerint, ex subsequenti proculdubio etiam linguæ ejus vinculum solvitur: ut bona quæ ipse fecerit, etiam faciēda aliis loquatur. Ubi benè additur: Et loquebatur rectè. Ille enim rectè loquitur, qui prius obediendo fecerit, quæ loquendo admonet esse faciēda.

Te Deum laudamus. 12.

Ad Benedictus, Antiphona.

Cùm transisset Dóminus fines Tyri, surdos fecit audire, & mutos loqui.

Ad Magnificat, Antiphona.

Benè omnia fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.

DOMINICA XII.

Post Pentecosten. Oratio.

**O**Mnipotens & misericors Deus, de cujus mīnere venit, ut tibi à fidelibus tuis dignè & laudabiliter serviatur, tribue quæsumus nobis; ut ad promissiones tuas sine offensione curramus. Per Dóminum nostrum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij.

Cap. 10. d

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Beati oculi, qui vident quæ



quæ vos vidētis. Dico enim vobis, quod multi Propheta & reges voluerunt videre quæ vos vidētis, & non viderunt. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 3. cap. 43. in Luc. 10.

**N**on oculi Scribarum & Phariseorum, qui corpus tantum Domini videre, sed illi beati oculi, qui ejus possunt cognoscere sacramenta, de quibus dicitur: Et revelasti ea parvulis. Beati oculi parvulorum, quibus & se, & Patrem Filium revelare dignatur. Abraham exultavit ut videret diem Christi: & vidit, & gavisus est. Isais quoque, & Michæas, & multi alii Prophetae videntur gloriam Domini: qui & propterea Videntes sunt appellati: sed hi omnes à longè aspicientes & salutantes, per speculum & in enigmate viderunt.

Lectio viij.

**A**postoli autem in presentiarum habentes Dominum, convectesque ei, & quacumque voluissent interrogando discentes, nequam per Angelos, aut varias visionum species opus habebant doceri. Quos verò Lucas multos Prophetas & reges dicit, Mattheus appetitis Prophetas & justos appellat. Ipsi sunt enim reges magni: quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse novèrunt.

Lectio ix.

**E**t ecce quidam Legisperitus surrexit, tentans eum, & dicens: Magister, quid facièndo vitam æternam possidèbo? Legisperitus, qui de vita æterna Dominum tentans intròrogat, occasionem, ut reor, tentandi de ipsis Domini sermonibus sumpsit, ubi ait: Gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cælis. Sed ipsa suà tentatione declarata,

quàm vera sit illa Domini confessio, quâ Patri loquitur: Quod abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis.

Te Deum laudamus. 12.

Ad Benedictus, Antiphona.

Magister, quid facièndo vitam æternam possidèbo? At ille dixit ad eum: In Lege quid scriptum est? Quomodo legis? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliarunt eum, & plagis impositis abièrunt, semivivo relicto.

DOMINICA XIII.

Post Pentecosten. Oratio.

**O**mnipotens sempiternè Deus, da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum: & ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis. Per Dominum nostrum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 17. c.

**I**n illo tempore: Dum iret Jesum in Jerusalem, transibat per mediam Samariam, & Galilæam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Lib. 2. Quest. Evang. cap. 40.

**D**e decem leprosis, quos Dominus ita mundavit, cum ait: Ite, ostendite vos sacerdotibus, quæri potest, cur eos ad sacerdotes miserit, ut cum irent, mundarentur. Nullum enim eorum, quibus hæc corporalia beneficia præstitit, invenitur missis ad sacerdotem, nisi leprosus. Nam & illum à lepra mundaverat, cui dixit: Vade, ostende te sacerdotibus, & offer pro te sacrificium, quod præcepit Moyses, in testimonium

num illis. Quærendum igitur est, quid ipsa lepra significet: non enim sanati, sed mandati dicuntur, qui eam caruerunt. Coloris quippe vitium est, non valetudinis, aut integritatis sensuum atque membrorum.

Lectio viij.

**L**eprosi ergo non absurdè intelligi possunt, qui conscientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profertur erroris. Non enim abscondunt imperitiam suam, sed pro summa peritia præferunt in lucem, & jactantia sermonis ostentant. Nulla porrò falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermiscat. Vera ergo falsis inordinatè permixta, in una disputatione vel narratione hominis, tamquam in unius corporis colore apparentia, significant lepram, tamquam veris falsisque colorum facis humana corpora variantem atque maculantem.

Lectio ix.

**H**i autem tam vitandi sunt Ecclesie, ut si fieri potest, longius remoti, magno clamore Christum interpellent: sicut isti decem steterunt à longè, & levaverunt vocem, dicentes: Jesu præceptor, miserere nostri. Nam & quod præceptorem vocant, quo nomine nescio utrum quisquam Dominum interpellaverit pro medicina corporali, satis puto significare, lepram falsam esse doctrinam, quam bonus præceptor abstergit.

Te Deum laudamus. 12.

Ad Benedictus, Antiphona.

Cum transiret Jesu quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi; qui steterunt à longè, & levaverunt vocem, dicentes: Jesu præceptor, miserere nostri.

Ad Magnificat, Antiphona.

Unus autem ex illis, ut vidit quod mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans Deum, alleluia.

DOMINICA XIV.

Post Pentecosten. Oratio.

**C**ustodi Domine, quæsumus, Ecclesiam tuam proptiatione perpetua: & quia sine te labitur humana mortalitas; tuis semper auxiliis & abstrahatur à noxiis, & ad salutaria dirigatur. Per Dominum nostrum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 6. c.

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nemo potest duobus dominis servire. Et reliqua. Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Lib. 2. de Sermone Domini in monte, cap. 14.

**N**emo potest duobus dominis servire. Ad hanc ipsam intentionem referendum est, quod consequenter exponit, dicens: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut alterum patietur, & alterum contemnet. Quæ verba diligenter consideranda sunt: nam, qui sint duo domini, deinceps ostendit, cum dicit: Non potestis Deo servire, & mammonæ. Mammona apud Hebræos divitiarum appellari dicitur. Congruit & Punicum nomen: nam lucrum Punicè mammon dicitur.

Lectio viij.

**S**ed qui servit mammonæ, illi utique servit, qui rebus istis terrenis merito suæ perversitatis præpositus, magistratus hujus sæculi à Domino dicitur. Aut enim unum odio habebit homo, & alterum diliget, id est, Deum: aut alterum patietur, & alterum contemnet. Patietur enim durum & perniciosum dominum, quisquis servit mammonæ: suam enim cupiditate implicatus, subditur diabolo, & non eum diligit. Quis enim est qui diligit diabolum? sed tamen patitur.

Lec-



## Lectio ix.

**I**deo, inquit, dico vobis, non habere sollicitudinem animæ vestræ quid edatis, neque corpori vestro quid induatis: ne forte, quamvis jam superflua non quarantur, propter ipsa necessaria cor duplicetur, & ad ipsa conquirenda, nostra detorqueatur intentio, cum aliquod quasi misericoorderiter operamur: id est, ut cum consulere alicui videri volumus, nostrum emolumentum ubi potius, quam illius utilitatem attendamus; & ideo nobis non videamur peccare, quia non superflua, sed necessaria sunt, quæ consuegi volumus.

Te Deum laudamus. 12.

**Ad Benedictus, Antiphona.**  
Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus? scit enim Pater vester, quid vobis necesse sit, alleluia.

**Ad Magnificat, Antiphona.**  
Querite primum regnum Dei, & iustitiam ejus: & hæc omnia adiicientur vobis, alleluia.

## DOMINICA XV.

**Post Pentecosten. Oratio.**  
Ecclésiam tuam, Dómine, miseratio continuata mundet & mundet: & quia sine te non potest salva consistere, tu semper manere gubernetur. Per Dóminum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

## Lectio vii.

**I**n illo tempore: Ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur Naïm: & ibat cum eo discipuli ejus, & turba copiosa. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Serm. 44. de Verbis Domini, circa init.

**D**e juvene illo resuscitato gavisata est mater vidua: de hominibus in spiritu quodidie suscitatis gaudet mater Ecclésia. Ille quidem mortuus erat corpore: illi

autem mente. Illius mors visibiliter visibiliter plangebatur: illorum mors invisibiliter nec quærebatur, nec videbatur. Quæsit ille, qui nôverat mortuos. Ille solus nôverat mortuos, qui poterat facere vivos. Nisi enim ad mortuos suscitandos venisset, Apóstolus non diceret: Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.

## Lectio viii.

**R**es autem mortuos invenimus à Dómino resuscitatos visibiliter, millia invisibiliter. Quot autem mortuos visibiliter suscitaverit, quis novit? Non enim omnia, quæ fecit, scripta sunt. Joannes hoc dixit: Multa alia fecit Jesus: quæ si scripta essent, arbitrator totum mundum non posse libros capere. Multi ergo sunt alii sine dubio suscitati, sed non tres frustra commemorati. Dóminus enim noster Jesus Christus ea, quæ faciēbat corporaliter, etiam spiritaliter volebat intelligi. Neque enim tantum miracula propter miracula faciēbat: sed ut illa, quæ faciēbat, mira essent vidētibz, vera essent intelligentibus.

## Lectio ix.

**Q**uemadmodum qui videt litteras in codice optime scripto, & non novit legere, laudat quidem antiquarii manum, admirans apicum pulchritudinem: sed quid sibi velint, quid indicent illi apices, nescit, & est oculis laudator, mente non cognitor. Alius autem & laudat artificium, & capit intellectum: ille utique, qui non solum videre, quod commune est omnibus, potest, sed etiam legere; quod, qui non didicit, non potest. Ita qui viderunt Christi miracula, & non intellexerunt quid sibi vellet, & quid intelligentibus quodammodo innuerent, mirati sunt tantum quia facta sunt: alii vero & facta mirati, & intellē-

ta

ta assecuti. Tales nos in schola Christi esse debemus.

Te Deum laudamus. 12.

**Ad Benedictus, Antiphona.**  
Ibat Jesus in civitatem, quæ vocatur Naïm: & ecce defunctus efferebatur filius unicus matri suæ.

**Ad Magnificat, Antiphona.**  
Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitavit plebem suam.

## DOMINICA XVI.

**Post Pentecosten. Oratio.**  
Tu nos, quæsumus Dómine, grátia semper & præveniat & sequatur: ac bonis operibus júgiter præstet esse intentos. Per Dóminum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

## Lectio vii.

**I**n illo tempore: Cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, & ipsi observabant eum. Et ecce homo quidam hydrópicus erat ante illum. Et reliqua.

Homilia Sancti Ambrósii Episcopi.

Lib. 7. in Luc. cap. 14.

**C**uriatur hydrópicus, in quo fluxus carnis exuberans animæ gravabat officia, spiritus extinguebatur ardorem. Deinde docetur humilitas, dum in illo convivio nuptiali appetentia loci superioris ardeat: clementer tamen, ut persuasio humanitatis asperitatem coercitionis excluderet, ratio proficeret ad persuasione effectum, & correctio emendaret affectum. Huic quasi proximo limine humanitas copulatur: quæ ita Dominicæ sententiæ definitione distinguitur, si in pauperes & débiles conferatur: nam hospitalem esse remuneraturis, affectus avaritiæ est.

## Lectio viii.

**P**ostrémò jam quasi emeritæ militiæ viro contemnendam sti-

péndium præscribitur facultatum: quod neque ille, qui studiis intentus inferioribus possessiones sibi terrenas coëmit, regnum cæli possit adipisci, cum Dóminus dicat: Venite omnia tua, & sequere me: nec ille, qui emit boves, cum Elisæus occiderit, & pópulo diviserit quos habebat: & ille qui duxit uxorem, cogitet quæ mundi sunt, non quæ Dei. Non quo conjugium reprehendatur, sed quia ad majorem honorem vocetur integritas: quoniam mulier innupta & vidua cogitat quæ sunt Dómini, ut sit sancta corpore & spiritu.

## Lectio ix.

**S**ed ut in grátiam, ut supra cum viduis, ita nunc etiam cum conjugibus revertamur: non refugium opinionem, quam sequuntur plerique, ut tria genera hominum a consortio magnæ illius cœnæ æstimemus excludi: Gentilium, Judæorum, Hæreticorum. Et ideo Apóstolus avaritiam dicit esse fugiendam: ne impediti more Gentili, iniquitate, malitia, impudicitia, avaritiâ, ad regnum Christi pervenire nequeamus. Omnis enim immundus, aut avarus, quod est idololum sérvitus, non habet hereditatem in regno Christi & Dei.

Te Deum laudamus. 12.

**Ad Benedictus Antiphona.**  
Cum intraret Jesus in domum cujusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem: ecce homo quidam hydrópicus erat ante illum: ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit.

**Ad Magnificat, Antiphona.**  
Cum vocatus fuisset ad nuptias, recumbere in novissimo loco, ut dicat tibi qui te invitavit: Amice, ascende superius: & erit tibi gloria coram simul discumbentibus, alleluia.

DO-



## DOMINICA XVII.

Post Pentecosten. Oratio.

**D**A, quæsumus Dômine, pòpulo tuo diabolica vitare contagia: & te solum Deum purâ mente sectari. Per Dòminum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 22. d

**I**n illo tempore: Accesserunt ad Jesum Pharisæi: & interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homilia 72. in Matthæum.

**S**Adduceis confusus, Pharisæi rursus aggrediuntur: cùmque quiescere oporteret, decertare voluerunt, & legis peritiam profitemur præmittunt, non discere, sed tentare cupientes, ac ita interrogant: Quodnam primum mandatum in Legge sit. Nam cùm primum illud sit, Diliges Dòminum Deum tuum: putantes causas sibi allatum ad mandatum hoc corrigendum, & aliquid addendo, quoniam Deum se faciebat, hoc modo interrogant: Quid igitur Christus? Ut ostendat idcirco ad hæc eos devenisse, quia nulla in eis esset charitas, sed invidia livore tabescerent: Diliges, inquit, Dòminum Deum tuum, hoc primum & magnum mandatum est. Secundum autem simile huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.

Lectio vij.

**Q**uamobrem simile est huic? quoniam hoc illud inducit, & ab illo rursus munitur. Quicquid enim malè agit, odio habet lucem, & non venit ad lucem. Et rursus: Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Deinde sequitur: Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis. Et iterum: Radix omnium malorum avaritia est: quam quidam

appetentes, erraverunt à fide. Et, Qui diligit me, mandata mea servabit: quorum caput & radix est, Diliges Dòminum Deum tuum, & proximum tuum sicut teipsum.

Lectio ix.

**S**I ergo diligere Deum, diligere proximum est: (nam si diligis me, ô Petre, inquit, pascè oves meas) si etiam dilectio proximi facit ut mandata custodias: merito ait in his totam Legem & Prophetas pendere. Et quemadmodum in superioribus, cùm de resurrectione interrogaretur, plus docuit quam tentantes petebant: sic in hoc loco de primo interrogatus mandata, secundum etiam non valde quam primum inferius, sponte attulit: secundum enim est primo simile. Ità occultè insinuat, odio illos ad quarendum incitari. Charitas enim, inquit, non æmulatur.

Te Deum laudamus. 12.

Ad Benedictus, Antiphona.

Magister, quod est mandatum magnum in lege? Air illi Jesus: Diliges Dòminum Deum tuum ex toto corde tuo, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Quid vobis videtur de Christo? ejus filius est? Dicunt ei omnes: David. Dicit eis Jesus: Quomodo David in spiritu vocat eum Dòminum, dicens: Dixit Dòminus Dòmino meo: Sede à dextris meis?

## DOMINICA XVIII.

Post Pentecosten. Oratio.  
**D**rigat corda nostra, quæsumus Dòmine, tuæ miserationis operatio: quia tibi sine te placere non possumus. Per Dòminum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 9.

**I**n illo tempore: Ascendens Jesus in naviculam, & transfretavit, & venit in civitatem suam. Et reliqua.

Ho-

## Homilia Sancti Petri Chrysostomi.

Sermone 50.

**C**hrisum in humanis actibus divina gessisse mysteria, & in rebus visibilibus invisibilia exercuisse negotia, lectio hodierna monstravit. Ascendit, inquit, in naviculam, & transfretavit, & venit in civitatem suam. Nonne ipse est, qui fugatis fluctibus, maris profunda navigavit, ut Israëliticus pòpulus inter stupentes undas sicco vestigio velut montium concava pertransiret? Nonne hic est, qui Petri pedibus marinos vertices inclinavit, ut per liquidum humanis gressibus solum præberet obsequium?

Lectio vij.

**E**T quid est, quod ipse sibi sic maris denegat servitum, ut brevissimi lacus transitum sub mercæ nautica transfretaret? Ascendit, inquit, in naviculam, & transfretavit. Et quid mirum, fratres? Christus venit suscipere infirmitates nostras, & suas nobis confère virtutes: humana querere, præstare divina: accipere injurias, reddere dignitates: terre tædia, referre sanitates: quia medicus, qui non fert infirmitates, curare nescit; & qui non fuerit cum infirmis infirmatus, infirmo non potest confère sanitatem.

Lectio ix.

**C**hrisum ergo, si in suis mansisset virtutibus, commune cum hominibus nil haberet: & nisi implesset carnis ordinem, carnis in illo esset otiosa susceptio. Ascendit, inquit, in naviculam, & transfretavit, & venit in civitatem suam. Creator rerum, orbis Dominus, postquam se propter nos nostra angustavit in carne, cepit habere humanam patriam, cepit civitatis Judæicæ esse civis, parentes habere cepit parentum omnium ipse pa-

rens: ut inviaret amor, attraheret charitas, vinciret affectio, suaderet humanitas, quos fugarat dominatio, metus dispererat, fecerat vis potestatis extorres.

Te Deum laudamus 12.

Ad Benedictus, Antiphona.

Dixit Dòminus paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.

Ad Magnificat, Antiphona.

Tulit ergo paralyticum lectum suum, in quo jacebat, magnificans Deum: & omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

## DOMINICA XIX.

Post Pentecosten. Oratio.  
**O**mnipotens & misericors Deus, universa nobis adversantia propitiatus excludè: ut mente & corpore pariter expediti, quæ tua sunt, liberis mentibus exequamur. Per Dòminum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij. Cap. 22.

**I**n illo tempore: Loquebatur Jesus principibus sacerdotum & Pharisæis in parabolis, dicens: Simile factum est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorii Papæ.

Homil. 38. in Evangelia, part. initium.

**Æ**pè jam me dixisse memini, quod plerumque in sancto Evangelio regnum cælorum præsens Ecclesia nominatur: congregatio dicitur iustorum, regnum cælorum dicitur. Quia enim per Prophetam Dòminus dicit: Cælum mihi sedes est: & Salomon ait: Anima justi sedes sapientiæ: Paulus etiam dicit Christus Dei virtutem, & Dei sapientiam: liquido colligere debemus, quia si Deus sapientiæ, anima autem justi, sedes sapientiæ: ergo cælum dicitur sedes Dei, cælum ergo est anima justi. Hinc per Psalmis-

mis-



místam de sanctis prædicatõribus dicitur: Cœli enarrant glóriam Dei.

## Lectio viij.

**R**egnum ergo cœlorum est Ecclesia justorum: quia dum eorum corda in terra nil ambiunt, per hoc quod ad sup̄erna suspirant, jam in eis Dõminus quasi in cœlestibus regnat. Dicatur ergo: Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Jam intelligit charitas vestra, quis est iste Rex Regis filii pater; ille nimis, cui Psalmista ait: Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis. Qui fecit nuptias filio suo. Tunc enim Deus Pater Deo Filio suo nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humanæ naturæ conjunxit, quando Deum ante secula fieri voluit hominem in fine sæculorum.

## Lectio ix.

**S**ed quia ex duabus personis fieri solet ista nuptialis conjunctio; absit hoc ab intelligibilibus nostris; ut personam Dei & hominis Redemptoris nostri Jesu Christi, ex duabus personis credamus unitam. Ex duabus quippe, atque in duabus hunc naturis existere dicimus: sed ex duabus personis compositum credi, ut nefas, vitamus: Apertius ergo atque securius dici potest, quia in hoc Pater Regi Filio nuptias fecit, quo ei per incarnationis mysterium sanctam Ecclesiam sociavit. Uterus autem Genitricis Virginis, hujus sponsi thalamus fuit. Unde & Psalmista dicit: In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.

Te Deum laudamus. 12.

## Ad Benedictus, Antiphona.

Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, venite ad nuptias, alleluia.

## Ad Magnificat, Antiphona.

Intravit autem Rex, ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, & ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?

## DOMINICA XX.

## Post Pentecosten. Oratio.

**L**argire, quæsumus Dõmine, fidelibus tuis indulgentiam placatus & pacem: ut pariter ab omnibus mundentur offensis, & securi tibi mente deserviant. Per Dõminum. Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

## Lectio vij. Cap. 4. ¶

**I**n illo tempore: Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum. Et reliqua.

## Homilia Sancti Gregorii Papæ.

## Homilia 28. in Evangelia.

**L**ectio sancti Evangelii, quam modò, fratres, audistis, expositione non indiget: sed ne hanc taciti præterisse videamur, exhortando potius, quam exponendo in ea aliquid loquamur. Hoc autem nobis solummodo de expositione video esse requirendum, cur is, qui ad salutem filio petendam venerat, audivit Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. Qui enim salutem filio quærebat, proculdubio credebatur: neque enim ab eo quærebat salutem, quem non crederet Salvatorem. Quare ergo dicitur: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis: qui autem crederet, quam signa videret?

## Lectio viij.

**S**ed mementote quid petiit, & aperte cognoscetis, quia in fide dubitavit. Poposcit namque, ut descenderet, & sanaret filium ejus. Corporalem ergo presentiam Dõmini quærebat, qui per spiritum nusquam deerat. Minus itaque in illum crederet, quem non putavit posse saltem dare, nisi presens esset & corpore. Si enim

enim perfecte credidisset, proculdubio sciret, quia non esset locus ubi non esset Deus.

## Lectio ix.

**E**X magna ergo parte diffusum est, qui virtutem non dedit majestati, sed presentie corporali. Salutem itaque filio petiit, & tamen in fide dubitavit: quia eum ad quem venerat, & potentem ad curandum credidit, & tamen morienti filio esse absentem putavit. Sed Dõminus, qui rogatur ut vadat; quia non desit ubi invitatur, indicat: solo jussu salutem reddidit, qui voluntate omnia creavit.

Te Deum laudamus. 12.

## Ad Benedictus, Antiphona.

Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum: hic cum audisset, quod Jesus veniret in Galileam, rogabat eum, ut sanaret filium ejus.

## Ad Magnificat, Antiphona.

Cognovit autem pater, quia illa hora erat, in qua dixit Jesus: Filius tuus vivit: & credidit ipse, & domus ejus tota.

## DOMINICA XXI.

## Post Pentecosten. Oratio.

**A**miliam tuam, quæsumus Dõmine, continuâ pietate custodi: ut à cunctis adversitatibus te protegente sit libera; & in bonis actibus tuo nomini sit devota. Per Dõminum nostrum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

## Lectio vij. Cap. 18. c.

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Et reliqua.

## Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

## Lib. 3. Comment. in cap. 18. Matth.

**F**amiliare est Syris, & maxime Palestinis, ad omnem sermonem suum parabolas jungere: ut

Pars Æstiva.

quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exemplaque tenentur. Præcepit itaque Dõminus Petro sub comparatione regis & domini, & servi, qui debitor decem millium talentorum à domino rogans veniam impetraverat, ut ipse quoque dimittat conservis suis minora peccantibus. Si enim ille rex & dominus servo debitorum decem millia talentorum tam facile dimisit: quanto magis servi conservis suis debent minora dimittere?

## Lectio viij.

**Q**uod ut manifestius fiat, dicamus sub exemplo. Si quis nostrum commiserit adulterium, homicidium, sacrilegium; majora crimina decem millium talentorum, rogantibus dimittuntur, si & ipsi dimittant minora peccantibus. Sin autem ob factam contumeliam sinus implacabiles, & propter amarum verbum perpètes habeamus discordias: nonne nobis videmur recte redigendi in carcerem, & sub exemplo operis nostri hoc agere, ut majorum nobis delictorum venia non relaxetur.

## Lectio ix.

**S**ic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remisistis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. Formidolosa sententia, si juxta nostram mentem sententia Dei flectitur, atque mutatur: si parva fratribus non dimittimus, magna nobis à Deo non dimittentur. Et quia potest unusquisque dicere: Nihil habeo contra eum, ipse novit, habet Deum iudicem; non mihi curæ est quid velit agere, ego ignovi ei confirmat sententiam suam, & omnem simulationem fictæ pacis evertit, dicens: Si non remisistis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Te Deum laudamus. 12.

Aa

Ad



**Ad Benedictus, Antiphona.**

Dixit autem dominus servo: Redde quod debes. Proci dens autem servus ille, rogabat eum, & dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

**Ad Magnificat, Antiphona.**

Serve nequam, omne debitum dimisti tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego tui miseris sum? alleluia.

**DOMINICA XXII.**

**Post Pentecosten.**

**Oratio.**

**D**Eus, refugium nostrum & virtus: adesto piis Ecclesiae tuae precibus, auctor ipse pietatis, & praesta; ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

**Cap. 22. b.**

**Lectio vij.**

**I**n illo tempore: Absentes Pharisaei, consilium iniierunt ut caperent Jesum in sermone. Et reliqua. Homilia Sancti Hilarii Episcopi.

**In Comment. in Matth. cap. 23.**

**R**equenter Pharisaei commoventur, & occasionem insimulandi eum habere ex praeceptis non possunt. Cadere enim vitium in gestu eius & dicta non poterat: sed de malitiae affectu, in omnem se inquisitionem repudiandae accusationis extendunt. Namque a saeculi vitis, atque a superstitionibus humanarum religionum, universos ad spem regni caelestis vocabat. Igitur an violaret saeculi potestatem, de propositae interrogationis conditione pertentant: an videlicet reddi tributum Caesari oporteret.

**Lectio vij.**

**Q**ui interna cognitionem secreta cognoscens (Deus enim nihil eorum quae intra hominem

sunt abscondita, non speculantur) afferri sibi denarium iussit, & quaesivit cuius & inscriptio esset, & forma. Pharisaei responderunt: Caesaris eam esse. Quibus ait: Caesari reddenda esse, quae Caesaris sunt: Deo autem reddenda esse, quae Dei sunt. O plenam miraculi responsionem, & perfectam dicti caelestis absolutionem! Ita omnia inter contemptum saeculi, & contumeliam laedendi Caesaris temperavit, ut curis omnibus & officiis humanis devotas Deo mentes absolveret, cum Caesari quae eius essent, reddenda decerneret.

**Lectio ix.**

**S**i enim nihil eius penes nos resederit, conditione reddendi ei quae sua sunt, non tenebimur. Porro autem si rebus illis incubamus, si jure potestatis ejus utimur, & nos tanquam mercenarios alieni patri-monii procuracioni subjicimus: extra queraam injuria est Caesari reddi-beri quod Caesaris est; Deo autem quae ejus sunt propria, reddere nos oportere, corpus, animam, voluntatem. Ab eo enim haec profecta atque aucta retinemus: proinde condignum est, ut ei se totum reddant, cui debere se recolunt & originem & profectum.

Te Deum laudamus. 12.

**Ad Benedictus, Antiphona.**

Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, alleluia.

**Ad Magnificat, Antiphona.**

Redde ergo quae sunt Caesaris, Caesari: & quae sunt Dei, Deo, alleluia.

Si sequens Dominica fuerit ultima post Pentecosten, ejus loco ponitur xxiv. ut infra, 375. & Officium hujus Dominicae ponitur in Sabbato praecedenti, non impedito Festo ix. Lectionum, alioquin Feria sexta, vel alia similiter non impedita.

DO-

**DOMINICA XXIII.**

**Post Pentecosten. Oratio.**

**A**bsolve, quaesumus Domine, tuorum delicta: populorum: ut a peccatorum nostrorum nexibus, quae pro nostra fragilitate contraximus, tua benignitate liberemur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

**Lectio vij.**

**Cap. 9. c.**

**I**n illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, ecce princeps unus accessit, & adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

**Lib. 1. Comment. in cap. 9. Matth.**

**O**ctavum signum est, in quo princeps suscitari postulat filiam suam, nolens de mysterio veterae circumcisions excludi, sed subintrat mulier sanguine fluens, & octavo sanatur loco, ut principis filia de hoc exclusa numero, veniat ad nonum, juxta illud quod in Psalmis dicitur: Aethiopia praeveniet manus ejus Deo: & Cum intraverit plenitudo Gentium, tunc omnis Israel salvus fiet.

**Lectio vij.**

**E**t ecce mulier, quae sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti ejus. In Evangelio secundum Lucam scribitur, quod principis filia duodecim annos habere aetatis. Nota ergo, quod eo tempore haec mulier, id est, Gentium populus ceperit aegrotare, quo genus Judaeorum crederat. Nisi enim ex comparatione virtutum, vitium non ostenditur.

**Lectio ix.**

**H**ae autem mulier sanguine fluens, non in domo, non in urbe accedit ad Dominum, quia

juxta legem urbibus excludebatur, sed in itinere ambulante Domino; ut, dum pergit ad aliam, alia curaretur. Unde dicunt & Apostoli: Vobis quidem oportebat praedicare verbum Dei: sed quoniam vos judicatis indignis salute, transgredimur ad Gentes.

Te Deum laudamus. 12.

**Ad Benedictus, Antiphona.**

Dicébat enim intra se: Si tetigero fimbriam vestimenti ejus tantum, salva ero.

**Ad Magnificat, Antiphona.**

At Jesus conversus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te salvam fecit, alleluia.

Dominica post Pentecosten non possunt esse pauciores viginti tribus, neque plures viginti octo. Cum autem fuerint plures viginti quatuor, tunc post vigesimam tertiam Dominicam resumuntur quae eo anno superfluerunt post Epiphaniam, quoad Oratationem, Homiliae, & Antiphonas ad Benedictus, & Magnificat, hoc ordine.

Si Dominica post Pentecosten fuerit xxv. Dominica xxiv. post Pentecosten erit quae est vi. post Epiphaniam.

Si fuerint xxvj. Dominica xxiv. erit quae est v. post Epiphaniam, & xxv. quae est vi.

Si fuerint xxvij. Dominica xxiv. erit quae est iv. post Epiphaniam, xxv. erit v. & xxvj. erit vi.

Si fuerint xxviii. Dominica xxiv. erit quae est iii. post Epiphaniam, xxv. erit iv. & xxvj. erit v. & xxvij. erit vi. & ultimo loco semper ponitur quae sequitur hic in ordine xxvij.

**DOMINICA III.**

quae superfluit post Epiphaniam.

**Oratio.**

**O**mnipotens sempiterna Deus, infirmitatem nostram propitius



tius respice, atque ad protegendum nos dexteram tuæ majestatis extendere. Per Dñm nostrum.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vii. *Cap. 8.*

**I**n illo tempore: Cùm descendisset Jesus de monte, secuta sunt eum turbæ multæ: & ecce leprosus veniens, adorabat eum. Et reliqua. Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

**D**e monte Domino descendente, occurrunt turbæ, quia ad altiora ascendere non valuerunt. Et primus ei occurrit leprosus: necdum enim poterat cum lepra tam multiplicem in monte Salvatoris audire sermonem. Et notandum, quòd hic primus specialiter curatus sit: secundò, puer Centurionis: tertio, socrus Petri febriciens in Capharnaum: quarto loco, qui oblatus sunt ei à dæmónio vexati; quorum spiritus verbo eiciebat, quando & omnes malè habentes curavit.

Lectio viii.

**E**t ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens: Rectè post prædicationem atque doctrinam, signi offertur occasio, ut per virtutem miraculi, præteritus apud audientes sermo firmetur. Domine, si vis, potes me mundare. Qui voluntatem rogat, de virtute non dubitat. Et extendens Jesus manum tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Extendente manum Domino, statim lepra fugit. Simulque considera, quam humilis, & sine iactantia responsio. Ille dixerat, Si vis: Dominus respondit, Volo. Ille præmiserat: Potes me mundare: Dominus iungit, & dicit: Mundare: Non ergo, ut perlique Latinorum putant, iungendum est; & legendum, Volo mundare: sed separatim, ut

primum dicat, Volo: deinde imperet, Mundare.

Lectio ix.

**E**t ait illi Jesus: Vide, nemini dixeris. Et reverà quid erat necesse ut sermone jactaret, quòd corpore præferèbat? Sed vade, ostende te sacerdoti. Varias ob causas mittit eum ad sacerdotem: primum propter humilitatem, ut sacerdotibus deferre honorem videatur. Erat enim lege præceptum, ut qui mundati fuerant à lepra, offerrent mînera sacerdotibus. Deinde, ut mundatum videntes lepròsum, aut crederent Salvatori, aut non crederent: si crederent, salvarentur: si non crederent, inexcusabiles forent. Et simul, ne, quod in eo sæpissimè criminabantur, legem videretur infringere.

Te Deum laudamus. 12. *Cap. 8. c.*  
**Ad Benedictus, Antiphona.**

Cùm descendisset Jesus de monte, ecce leprosus veniens adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare: & extendens manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare.

**Ad Magnificat, Antiphona.**

Domine, si vis, potes me mundare: & ait Jesus: Volo, mundare.

**DOMINICA IV.**

**Quæ superfluit post Epiphaniam.**

**Oratio.**

**D**eus, qui nos in tantis periculis constitutos, pro humana seic fragilitate non posse subsistere: da nobis salutem mentis & corporis; ut ea, quæ pro peccatis nostris patimur, te adjuvante vincamus. Per Dñm.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vii. *Cap. 8. c.*

**I**n illo tempore: Ascendente Jesu ergo, ut perlique Latinorum putant, iungendum est; & legendum, Volo mundare: sed separatim, ut

cula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

*Lib. 1. Comment. in cap. 8. Matth.*

**Q**uintum signum fecit, quando ascendens navem de Capharnaum, ventis imperavit & mari. Sextum, quando in regione Gerasenorum dedit potestatem dæmonibus in porcos. Septimum, quando ingrediens civitatem suam, paralyticum secundum curavit in sæculo. Primus enim paralyticus est puer Centurionis.

Lectio viii.

**T**pse verò dormiebat: & accesserunt ad eum, & suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos. Hujus signi typum in Jona legimus, quando cæteris periclitantibus, ipse secutus est, & dormit, & suscitatur; & imperio ac sacramento passionis suæ liberat suscitantes. Tunc surgens imperavit ventis & mari. Ex hoc loco intelligimus, quòd omnes creaturæ sentiant creatorem. Quas enim increpavit, & quibus imperavit, sentiunt imperantem: non errore hæreticorum, qui omnia putant animantia, sed majestate conditoris, quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt.

Lectio ix.

**P**orrò homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei? Non discipuli, sed nautæ, & cæteri qui in navi erant, mirabantur. Sin autem quæ contentiosè voluerit, eos, qui mirabantur, fuisse discipulos: respondimus, rectè homines appellatos, qui necdum noverant potentiam Salvatoris.

Te Deum laudamus. 12.

**Ad Benedictus, Antiphona.**

Ascendente Jesu in naviculam, ecce motus magnus factus est in mari: & suscitaverunt eum discipuli ejus, di-

cèntes Domine, salva nos, perimus.

**Ad Magnificat, Antiphona.**

Domine salva nos, perimus: impera, & fac Deus tranquillitatem.

**DOMINICA V.**

**Quæ superfluit post Epiphaniam.**

**Oratio.**

**F**amiliam tuam, quæsumus Domine, continuè pietatè custodit: ut quæ in sola spe gratiæ cælestis innititur, tua semper protectione muniat. Per Dñm.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vii. *Cap. 13. c.*

**I**n illo tempore: Dixit Jesus turbis parabolas hanc: Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

*Lib. Quæst. Evang. in Matth. c. 11. l. 4.*

**C**um negligentibus agerem præpositi Ecclesiæ, aut cum dormitionem mortis acciperent Apostoli, venit diabolus, & supereminavit eos, quos malos filios Domini interpretatur. Sed queritur, utrum hæretici sint, an malè viventes Catholici. Possunt enim dici filii mali etiam hæretici, quia ex eodem Evangelii semine, & Christi nomine procreati, pravis opinionibus ad falsa dogmata convertuntur.

Lectio viii.

**S**ed quòd dicit eos in medio tritici seminatos, quasi videtur illi significari, qui unius communis sunt. Veritatem quoniam Dominus agrum ipsum, non Ecclesiam, sed hunc mundum interpretatus est: bene intelliguntur hæretici, qui non societare unius Ecclesiæ, vel unius fidei, sed societate solius nominis Christiani in hoc mundo permiscerunt bonis. At illi qui in eadem fide mali sunt, pæcia potius quam



quam zizania reputantur: quia pãlea etiã fundamētum ipsũ habet cum frumẽto, radicẽque cõmũnem.

## Lectio ix.

**I**n illa planẽ sagẽna, quã concluduntur & mali & boni pisces, non absurdẽ mali cathõlici intelligantur. Aliud est enim mare, quod magis mundum istum significat: aliud sagẽna, quæ unius fidei, vel unius Ecclẽsiæ cõmuniõnem videtur ostẽdere. Inter hereticos & malos Cathõlicos hoc interest, quod heretici falsã credunt: illi autem vera credẽtes, non vivunt itã ut credunt.

Te Deum laudãmus. 12.

## Ad Benedictus, Antiphona.

Dõmine, nõnnẽ bonum semen seminãtur in agro tuo? undẽ ergo habet zizania? & ait illis: Hoc fecit inimicus homo.

## Ad Magnificat, Antiphona.

Colligite primũ zizania, & alligãte ea in fasciculos ad comburẽdũ: triticum autem congregãte in hõrreum meum, dicit Dõminus.

## DOMINICA VI.

## Quæ superfluit post Epiphaniã.

## Oratio.

**P**ræsta quæsumus omnipotens Deus: ut semper rationabilia meditãntes, quæ tibi sunt placita, & dictis exequãmur, & factis. Per Dõminũ.

Lectio sancti Evangelii secundũ Mattheum.

## Lectio vij.

Cap. 13. d

**I**n illo tempore: Dixit Jesus turbis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum grano sinãpis, quod accipiens homo seminãvit in agro suo. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 2. Comment. in cap. 13. Matth.

**R**egnum cœlorum, prædicatio Evangelii est, & notitia Scripturãrum, quæ ducit ad vitam, & de qua dicitur ad Judæos: Aufertur

à vobis regnum Dei, & dabitur Genti faciẽti fructus eius. Simile est ergo hujuscemodi regnum grano sinãpis, quod accipiens homo seminãvit in agro suo. Homo qui seminãtur in agro suo, à perisque Salvator intelligitur, quod in animis credentium seminatur: ab illis ipse homo seminans in agro suo, hoc est in semetipso, & in corde suo.

## Lectio viij.

**Q**uis est iste, qui seminatur, nisi sensus noster & animus; qui suscipiens granum prædicatiõnis, & fovens semẽntem, humore fidei facit in agro sui pectoris pullulãre? Prædicatio Evangelii minima est omnibus disciplinis. Ad primam quippẽ doctrinã, fidem non habet veritatis, hominem Deum, Christum mortuum, & scãdalum crucis prædicans. Conser hujuscemodi doctrinã dogmãtibus Philosophõrum, & libris eõrum, & splendori eloquentiæ, & compositioni sermõnum: & videbis quantõ minor sit ceteris seminibus semẽntis Evangelii.

## Lectio ix.

**S**ed illa cum creverint, nihil mordax, nihil vividum, nihil vitãle demonstrant, sed totum stercidum marcidumque & molitum ebollit in olera & in herbas, quæ citò arẽscunt & cõruunt. Hac autem prædicatio, quæ parva videbatur in principio, cum vel in anima credentis, vel in toto mundo sarta fuerit, non exurgit in olera, sed crescit in arborem: ita ut volucres cœli (quas vel animas credentium, vel fortitudines, Dei servitio mancipatas, sentire debemus) veniant, & habitent in ramis ejus. Ramos puto Evangelicæ arboris, quæ de grano sinãpis creverit, dogmatum esse diversitates, in quibus supradictarum volucrum unaquæque requiescit.

Te Deum laudãmus. 12.

Ad

## Ad Benedictus, Antiphona.

Simile est regnum cœlorum grano sinãpis, quod minimum est omnibus seminibus: cum autem creverit, majus est omnibus olõribus.

## Ad Magnificat, Antiphona.

Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinã satis tribus, donec fermentatũ est totum.

DOMINICA XXIV.  
ultima post Pentecosten.

## Oratio.

**E**xcita, quæsumus Dõmine, tuõrum fideliũ voluntates: ut divini õperis fructum propensius exequẽtes, pietãtis tuæ remedia majora percipiant. Per Dõminũ.

Lectio sancti Evangelii secundũ Mattheum.

## Lectio vij.

Cap. 24. b

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Cum videritis abominatiõnem desolatiõnis, quæ dicta est à Daniẽle Prophẽta, stantem in loco sancto: qui legit, intelligat. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

Lib. 4. Comment. in cap. 24. Matth.

**Q**uando ad intelligẽtiã provocãmur, mysticum monstrãtur esse quod dictum est. Legimus autem in Daniẽle hoc modo: Et in dimidio hebdomadis auferetur sacrificium & libãmينا: & in templo abominatiõ desolatiõnem erit usque ad consummatiõnem temporis, & consummatiõ dabitur super solitudinem. De hoc & Apõstolus loquitur, quod homo iniquitãtis, & adversarius elevãndus sit contra omne quod dicitur Deus, & cõlitur: ita ut audeat stare in templo Dei, & ostẽdere quod ipse sit Deus: cujus advẽntus secundum operatiõnem sãtanæ destruat eos,

& ad Dei solitudinem redigat qui se suscepit.

## Lectio viij.

**P**otest autem simpliciter aut de Antichristo accipi, aut de imagine Caesaris, quam Pilãtus posuit in templo, aut de Hadriãno equestri statua, & in ipso sancto sanctorum loco usque in præsentem diem stetit. Abominatiõ quoque secundũ veterem scripturã idõlum nuncupãtur: & idcirco additur, desolatiõnis, quod in desolato templo atque destructo idõlum positum sit.

## Lectio ix.

**A**bominatiõ desolatiõnis intelli gi potest & omne dogma perversum: quod cum vidimus stare in loco sancto, hoc est, in Ecclẽsia, & se ostẽdere Deum, debemus fugere de Judæa ad montes, hoc est, dimissa occidẽte literã, & Judicã pravitãte, appropinquãre montibus æternis, de quibus illũminat mirabiliter Deus; & esse in tecto, & in domate, quò non possint ignita diãboli jãcula perventire, nec descendere & tollere aliquid de domo conversatiõnis pristinã, nec quærere quæ retrorsum sunt: sed magis sere in agro spiritũalium scripturãrum, ut fructus capitãliũ ex eo: nec tollere alteram tunicã, quam Apõstoli habere prohibentur.

Te Deum laudãmus. 12.

## Ad Benedictus, Antiphona.

Cum videritis abominatiõnem desolatiõnis, quæ dicta est à Daniẽle Prophẽta, stantem in loco sancto: qui legit, intelligat.

## Ad Magnificat, Antiphona.

Amen dico vobis, quia non præteribit generatiõ hæc, donec omnia fiant: cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt, dicit Dõminus.

Aa 4

PRO-